



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid & quotuplex sit jurisdictio in genere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T U L U S XXXI.

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARIUM.

SECTIO I.

*De Jurisdictione in genere
& de jurisdictione seu potestate
iudicis ordinarii universim.*

§. I.

*Quid & quotuplex sit Jurisdictio
in genere?*

Jurisdictio in genere rectè describitur quòd sit potestas alicujus publicam auctoritatem & eminentiam habentis circa aliorum regimen seu gubernationem. Dicitur publicam auctoritatem habentis, ut distinguatur à domesticà sive œconomica potestate patris in filium, mariti in uxorem, Domini in servum, quæ potestates privatæ potius sunt. Variè autem dividitur jurisdictio; in Ecclesiasticam, quæ causas spirituales, & Ecclesiasticas complectitur, ac politicam & temporalem, quæ circa causas sæculares, & profanas versatur. Dein alia jurisdictio est fori externi, quæ in foro externo exercetur, & alia est fori interni, quæ exercetur in foro interno seu conscientia: utraque subdividitur in ordinariam & delegatam. Hæc Tit. 29. jam explicata est illa hujus Tituli materia est; fori externi jurisdictio subdividitur in voluntariam, & contentiosam jurisdictionem, illa non nisi inter volentes sine strepitu judicialis

processus exercetur, uti est absolvere à censuris, dispensare in votis, & juramentis beneficia conferre, legitimare, manumittere, delegare, quæ quidem extra proprium territorium etiam exerceri potest, ad vitanda tamen multa incommoda consultius videtur, voluntariæ hujus jurisdictionis actus privatim & non publice extra territorium proprium exerceri. Contentiosa jurisdictio est, quæ exercetur etiam in invitos trahendo v.g. eos ad iudicium, & causas judicialiter contra eos examinando, ac decidendo, quæ nunquam extra proprium territorium, nisi cum consensu domini illius territorii exerceri potest, cum extra territorium iudicanti impunè non pareatur c. 2. de consuet. in 6. solet autem jurisdictio fori externi tam Ecclesiastica quàm Civilis subdividi in imperium, & simplicem jurisdictionem. Simplex jurisdictio dicitur, quæ mercenario iudicis officio exercetur, & nullum imperium coercendi, puniendi includit, ac totum juris actioni alligatum est, ac deservit. Imperiū verò dicitur, quod nobili officio iudicis exercetur, neque alligatum est actioni merè civili, sed ad pœnas etiam, & coactiones varias descendendo, publico bono, aut privatæ etiam utilitati deservit. Hoc imperium duplex est, mixtum aliud; aliud merum, utriusq; imperii varii sunt gradus meri imperij primus est, qui etiam summū imperium dicitur, potestas condendi leges uni-

verales concilia congregandi universalia aut committia, bellum indicendi, cognoscendi causas, remoto appellationis remedio, tributa exigendi, eudendi moneat, & alia similia, quæ regalia dicuntur & sumis tantum Principibus in signum suprenæ majestatis conveniunt, vel inferioribus etiam Ducibus ab imperio in feudum conceduntur. Secundus gradus est, potestas facinerosos puniendi, etiam pœnâ mortis, aut mutilationis: quod alii dicunt jus gl'idi, potestas inferendi mortem civilem per maximam capitis diminutionem, jus civitatis Romanæ & libertatem adimendo, potestas degradandi Clericos excommunicandi proprio motu &c. Tertius gradus est, qui magnum etiam imperium dicitur, potestas, per quam media capitis diminutio infertur, sive civitatis jure quis exiit, retentâ tamen libertate, potestas condemnandi trimes &c. Quartus gradus meri, sed parvi imperii dicitur, potestas relegandi, subjiciendi torturæ, verberand &c. Quintus gradus minoris imperii dicitur, potestas leviter coercendi in corpore. Et sextus denique gradus est, qui minimum imperium dicitur potestas imponendi multâ modicam pecuniariam, qui duo ultimi gradus cuius iudici ordinario competunt, ne proflus sit in efficax illius jurisdictionis, si nullam coercionem adhibere possit. Mixti imperii dantur etiam varii gradus, de quibus videndi Civilistæ.

§. II.

De Iudice ordinario in genere, eiusque jurisdictione ac potestate.

Iudex ordinarius dicitur, quia ex proprio munere, adedque suo jure juris-

ditionem exercet, non quidem quasi cuius iudici ordinario plena potestas, sive plenitudo potestatis competat, quæ in Principibus sumis residere tantum dicitur, sed quod ex vi suæ Dignitatis, officii, aut magistratus jurisdictionem convenientem exerceat: acquiritur autem potestas ordinaria, vel à Principe, aut republica superiorem non recognoscente, sive ex privilegio Principis talis, aut republicæ neque enim inferior magistratus iudices ordinarios constituere potest, cum hæc potestas inter regalia numeretur, nisi inferioribus Principibus hoc etiam regale à supremo Principe concessum sit in feudum, ut habent germani Principes ab Imperatore) vel à lege seu Canone (quales sunt illi, qui ad præscriptum legis seu Canonis, vel ab homine publicam auctoritatem habente, vel ab Universitate aliqua, aut Collegio constituuntur) vel denique consuetudine legitime præscriptâ (consuetudo enim sicuti jurisdictionem tollere, restringere & imminuere potest, ita potest etiam jurisdictionem dare extendere, & ampliare *c. cum contingat 13. de foro competente*) quamvis meri, aut mixti imperii sint; quamvis Principi in signum prærogativæ reservata sint, modò sint talia, quæ aliis etiam interdum demandantur, & capacitas possidendi sit penes præsentem, ex cuius capacitatis defectu nemo præcubere potest jurisdictionem Ecclesiasticam fori externi, nisi Clericus sit, & in officio aliquo publico Ecclesiastico constitutus. Possunt autem esse iudices ordinarii omnes, qui nec naturâ, nec jure prohibentur: naturâ autem prohibentur iudices ordinarii esse surdi, muti perpetuò amentes, impuberes,

Y z